



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

§. 1. Præmittitur notabile discrimen inter reservata Pontifici, & Episcopis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPUT V.

De peccatis Summo Pontifici reservatis.

§. I. Præmittitur notabile discrimen inter peccata reservata Pontifici, & Episcopis.

1. Casus Pontificij, hoc est Summo Pontifici reservati, ut habet Suar. d. 29. de pen. sect. 2. & alij passim semper adnexam habent excommunicationem, & quidem etiam ipsam reservatam. Nam licet aliquando aliquod peccatum reservari Pontifici, sine mentione excommunicationis legas in nonnullis decretis, tamen est sufficienter interpretatur partim Castropal. de pen. p. 3. §. 2. n. 1. partim Boss. de libel. sect. 1. casu 2. Floron. de casibus reserv. p. 1. casu 2. n. 7. qui omnes concludunt, nullum esse casum Pontificium Excommunicatione liberum.

2. At verò Casus Episcopales, hoc est reservati Episcopis, non omnes Excommunicationem adnexam habent, solent enim ab ipsis reservari, & Casus nullam Excommunicationem habentes; & item habentes.

3. Quæres, quando asserimus Casus Pontificios habere adnexam Excommunicationem reservatam, itane intelligendum est, ut sola Excommunicatio sit reservata, etiam ipsæ Casus, id est, etiam ipsum delictum reservatum sit?

Respondeo. Etiam ipsum delictum, quando est affectum Excommunicatione. Id, quod probatur à Sanchez lib. 2. de c. 8. n. 5. à posteriori. Nam si bona fide absolvas à tali delicto, & ab Excommunicatione reservata, v.g. ab hæresi externa, per Confessarium ex invincibili ignorantia, putantem se illa absolvere posse, comperta deinde carentia potestatis in eo Confessario, non solum debes absolutionem Excommunicationis petere, & obtinere ab habente Iurisdictionem ad illam Excommunicationem absolvendum, verum etiam debes in omnium sententia ab eodem obtinere absolutionem delicti hæresis, quia hoc non fuit directè absolutum, sed propter bonam fidem solum indirectè cum aliis peccatis à te expositis Confessario. At si ipsum delictum non esset reservatum, fuisset directè absolutum & non indigeret nova directà absolutione. Ita Sanchez l.c.

4. Dixi quando est affectum Excommunicatione, nam si per ignorantiam quis nesciret huic peccato esse Excommunicationem Pontificiam adnexam, vel ratione meritis sup. c. 3. n. 2. dixi, adnexa de facto non esset, tunc illud delictum à te sic commissum non esset Pontifici reservatum, possetque absolvi per quemcunque Confessarium potentem absolvere à peccatis mortalibus. Ratio est, quia ex vna parte huic propter dictam ignorantiam, vel metum, nunquam fuit adnexa Excommunicatio, & ex alia Casus ipse non est reservatus Pontifici, nisi quòdo ut n. 1. diximus, est cum Excommunicatione conjunctus. Ita Suar. d. 29. de pen. sect. 2. Sanchez l.c. Castropal. l. 1. n. 4. p. 1. §. 1. initio citans Bonac. Vasq. Laym. aliosque.

5. Tam vero ex dato discrimine inter reservata Pontifici, & Episcopo, duæ laboriuntur aliæ differentiæ. Prima quando Summus Pontifex, sive per Iubileum, sive per quodcunque privilegium, concedit Iurisdictionem alicui absolvendi à Casibus Papalibus, concedit etiam facultatem absolvendi Excommunicatione eidem Papæ reservatas: quia sicuti hæc duo, Casus, & Excommunicationes Papales, sunt semper connexa, ita concessa potestate ad vnum ex ipsis, intelligitur concessa ad alterum.

6. At verò, quando Episcopus concedit Iurisdictionem absolvendi à casibus sibi reservatis, non intelligitur concedere Iurisdictionem absolvendi ab Excommunicationibus sibi eidem reservatis, quia cum ipse habeat multos casus reservatos distinctos à reservatis Excommunicationibus, concessio pro illis non potest extendi

ad has, neque contrā, nisi aliud ex concessionis verbis, aliisve circumstantiis coniciatur. Ita Bonacina, Barboza, alique ex communi sententia, quos habes apud Bossium l.c.

7. Secunda differentia. Si quando propter ignorantiam, vel propter metum cadentem in virum constantem, juxta supradicta non incurrit aliquis Excommunicationem, dum patrat delictum Summo Pontifici reservatum, v.g. dum incidit in externam hæresim, poterit absolvi à quocunque simplici, seu communi Confessario ut dixi n. 4. quia illud delictum quandoquidem non habet annexam excommunicationem reservatam, non habetur saltem ex usu Ecclesiæ, pro reservato; At non ita in delictis Episcopalibus: Quamvis enim per ignorantiam, vel propter aliud, non incurras Excommunicationem, adhuc illud delictum fere semper remanet reservatum, nec poterit à simplici Confessario absolvi, sed solum ab habente Iurisdictionem ad reservata, quia in Casibus Episcopalibus non adest usus Ecclesiæ, quod non habeatur pro reservato illud delictum, cui non est adnexa Excommunicatio reservata Episcopis, & quamvis hæc per ignorantiam vel metum, non incuratur, sic docent Suar. d. 3. de penis sect. 3. n. 1. Laym. l. 1. c. 5. p. 2. c. 6. n. 10. Boss. de libel. sect. 1. c. 28. n. 2. alique. Et ratio vltior est quia Episcopi aliquando, imo fere semper, reservant ipsa delicta ratione ipsorum, & non ut facere solet Pontifex, ratione Excommunicationis, vel saltem reservant immediatè, & Casum, & Excommunicationem.

8. Dixi fere semper, nam si quando ex verbis, vel circumstantiis constaret, delictum illud, fuisse ab Episcopo reservatum, ratione Excommunicationis, tunc profecto eadem esset ratio, quæ est in Pontificiis, unde qui ob ignorantiam, vel ob aliud non contraheret hanc excommunicationem, nec contraheret dicti delicti reservationem.

9. Sed quid præsumendum, quando, neque ex verbis atque ex circumstantiis id colligi queat?

Respondeo, præsumendum esse, reservationem ab Episcopo factam fuisse ratione ipsius delicti, vel ratione, ut dictum est, utriusque immediate, atque adeo etiam casum esse immediate reservatum. Ratio ducitur ex communiter contingentibus, quia scilicet hic est consuetus usus Episcoporum, qui in reservationibus suis ad ipsa delicta fere semper attendunt.

10. Quæres Primo, Si Summus Pontifex auferat censuram adnexam casui sibi reservato, remaneatne ipse casus eidem Pontifici reservatus?

Respondeo. Probabile est non remanere reservatum, atque adeo posse absolvi, à communi Confessario. Ratio est, quam diximus n. 4. & 7. quam rectè notat Sanchez lib. 2. in Dec. c. 8. num. 5. Cuius enim à principio, & veluti in fieri sunt simul casus, & Excommunicatio Pontifici reservata, ita in conservari, ut scilicet, remota excommunicatione reservata, per potentem illam absolvere; removeatur, & reservatio Casus, & data à Pontifice (ut supra etiam nos diximus n. 5.) facultate absolvendi pro tali Excommunicatione, censetur etiam data pro tali peccato, & contra.

11. Quid si idem casus esset Pontificus & Episcopalis, nempe sibi illud reservasset Pontifex, & ex propria sua Iurisdictione etiam Episcopus, (quod fieri, an liceat, infra indicabimus.) Remota per absolutionem Pontificis Excommunicatione à tali casu, remaneatne, reservatus ipse Casus Episcopo? Respondeo, Si in rigore juris loquamur, remanere reservatum Episcopo, quia ubi plura iura videntur, ut hic videtur ius Pontificis, & ius proprium Episcopi, remisso vno, non intelligitur remissum & aliud. At Navarr. in Manual. c. 17. num. 261. Ver. Non dico, cum aliis docet, hodie usum, & consuetudinem interpretari, etiam sublatam esse Episcopalem reservationem. Ita etiam tenet Floronus, de Casibus reserv. p. 1. casu 2. c. 13. citans Grassum, Henriquez, Homobonum. Mihi difficilis est, quæ credatur hæc consuetudo, quia

quia raro peccatum referatur idem ab Episcopis, quod à Pontifice, unde poterit eiusmodi usus introduci.

12. Idem dicendum, si quis esset Excommunicatus excommunicatione Pontificia, & Episcopali de eadem re, neque enim absolutus ab Excommunicatione Pontificia, intelligeretur absolutus ab Episcopali, quia existentibus duobus impedimentis, uno sublato, alterum non tollitur, ut colligitur ex cap. *Quarum, de auctorit. & usu pallii, & ex l. si Domus, ff. de servit. V. licet intelligi etiam ab Episcopali, vfu communi sic interpretante, doceat Raguccius, Naldus, alique apud Dianam p. 5. tr. 9. ref. 60. Sed ego etiam de ejusmodi vfu, propter rationem, à me modo dictam, valde dubito.*

13. Quæres Secundo. Quod dictum est, remota excommunicatione non remanere casum reservatum in Casibus reservatis, procedit etiam in Casibus illis Pontificiis, qui cum ipsi Pontifici sint reservati, idem tamen Pontifex concessit, ut possint ab Episcopo absolvi, qualis est v. g. abortus foetus animati, & alij quos mox c. 6. §. 1. n. 2. enumerabo.

Respondeo. Salvo meliore iudicio, mihi videtur (nam apud neminem id lego) procedere; nam ij nunc sunt quidem Casus Episcopales, ut ibidem dicam, sed per huiusmodi concessionem non mutant reservationem, quam habent Pontificiam; quare solum sunt reservati, quando, (ut supra dictum est de Casibus omnibus à Pontifice reservatis,) conjunctionem habent cum excommunicatione; unde, ea remota ob ignorantiam, vel ob metum, vel per Absolutionem, non remanebunt Casus reservati, sed poterunt absolvi à communi Confessario.

§. II. Peccata, seu Excommunicationes Summo Pontifici reservata.

1. **I**n tres Classes ea distribu. Prima continetur in Bulla Cænz. Secunda in quodam Decreto Clementis VIII. Tertia in Constitutionibus aliorum Pontificum.

Duarum priorum summam attuli in Opusculo *Methodi Confessionis*, lib. 3. c. 7. §. 4. à n. 13. Tertiam habes apud Filliuc. *tract. 10. c. 9. n. 2. 13.* Castrop. *Suar. Bonac. & fusi. Duarum. Alter. Sayr. cum de censuris & sexcentis aliis.* Nolo ergo actum agere, sed ad necessaria progredi.

CAPVT VI.

De peccatis Episcopo reservatis.

§. I. An in Iure sint aliqui Casus reservati Episcopis.

1. **C**ertum est, ab aliisque scis probatum, nullum hodie de facto casum esse reservatum, in Iure, Episcopis, saltem, quia (ut notat Floronus 1. p. de casib. *reserv. c. 1. §. 1. num. 5.*) consuetudine ita servatur. Lege Suarem de poen. d. 29. sect. 3. n. 6. Barb. de potest. Ep. all. §. 1. n. 2. Quint. singul. 1. de poenit. n. 1. Castrop. de poenit. q. 15. §. 2. n. 2. alioque. Eos igitur, pro sua Diocesi, quilibet Ordinarius reservare poterit, quos prudenter ad bonum suarum ovium expedire iudicaverit: vel ii reservari etiam erunt Episcopis, quos de facto propria alicujus Diocesi consuetudo reservavit.

2. Quoniam vero aliquot inveniuntur Casus Summo Pontifici reservati, quos Summus Pontifex concessit, ut ii possint absolvi ab Episcopis, quale est ex Tridentino sess. 24. c. 6. de ref. omne delictum quomodocunque Pontifici reservatum, si sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, & qualis etiam est levis percussio Clerici, inter limites peccati mortalis, ut dicemus in explicatio Excommunicationis, si quis *Suadente*, & qualem etiam esse abortum foetus animati, diximus l. 5. in Decal. cap. 2. §. 4. à num. 7. Quoniam, inquam, hæc ita se habent: Quæritur, an ejusmodi Casus sint Episcopis concessi iure suæ ordinariæ iurisdictionis, & sic

possint, debeantque vocari casus Episcopo reservati, verò sint Pontificii.

3. Sanchez l. 4. in Decal. cap. 54. c. 17. Pontificii non tantum dici, & esse Episcopales, hoc est absolute Episcopis reservati, quia sunt concessi dignitati Episcopali, quæ adeo perpetuo, quod est jam nunc illos esse Episcopos iurisdictionis Episcoporum; Castropalus in Cen. part. 8. §. 1. num. 7. & Henricus l. 6. cap. 14. c. 7. c. 1. remanere Pontificios, quia tales sunt per se Episcopis sint, per delegationem, concessi.

4. Sed vera decisio, utramque sententiam facit concilians, est eos esse vere, & per se Pontificios, non enim per delegationem concessam Episcopis, nec suam primariam naturam reservationis Pontificiam, sed supra dixi cap. 5. §. 1. num. 11. Sed tamen possunt tandem modo; & quoad aliquem effectum vocari Episcopales, quia, cum eorum absolutio pontificis nexa dignitati, sunt ejus ordinariæ, & per se iurisdictionis. Vi de opinio quæ dicam infra cap. 13. num. 13.

5. Permaximè autem utilis est hæc decisio, cum Confessarius electus per Bullam Cenciæ absolvi Episcopales, toties, quoties, & eodem modo Mandantes extra Italiam absolvi per sua privilegia eisdem Episcopales, & denique ipsi Episcopi per alicui Confessario delegare potestatem absolvendi Casus Episcopales. Si ergo prædicti Casus, de quibus loquimur, absolute remanent Pontificii, nec Bulla Cenciæ, nec privilegia Mendicantium, nec dicti Episcopi delegatio per concessionem Casuum Episcopales, extendent ad illos. At certe se extendent, si excipiantur semper hæresim etiam occultam, propter quam communitatem si sint, ut nos probabiliter sustinemus, tandem modo Episcopales, & iurisdictioni Episcopali, connexi.

6. Dices. Si hi casus sunt jam concessi Episcopis non autem aliis communibus Confessariis, ergo et ipsi Episcopis reservati. Ergo falsum est, quod dictum est num. 1. de facto non esse alios Casus reservatos Episcopo, nisi in Diocesi specialiter reservatos. Respondeo. Nego primam, & secundam consequentiam. Illi enim casus sunt Pontificii, nec esse tales debent nec, ut num. 4. dixi, naturam reservationis mutare per delegationem, quæ concessi fuerunt Episcopis. Quis enim dicat delicta occulta in Cænz. Decretis esse, vel vocari posse casus absolute reservatos Episcopis; & tamen Tridentinum illos ipsi concessit. Ne igitur immisceas hæc duo, Casus reservatos in Iure Episcopis, & Casus reservatos in Iure Pontifici per particularem delegationem ordinatæ. Preterea Episcoporum concessos, ut rectè notavit Flan. part. 1. de casibus reservatis. cap. 1. §. 1. num. 5. Illi per nos cum Doctoribus citatis negavimus dicto modo non autem hoc posterius: quæ differentia, quæ diversam praxim pariat, habebis infra cap. 9. §. 1. n. 6. & 7.

§. II. Quos casus reservare sibi potest Episcopus.

1. **S**ignatè dictum est §. præcedenti num. 1. Episcopis reservare poterit Casus, quos prudenter excipere debet, ne Sacramenti poenitentiae vltus difficultate datur, quam par est: de qua moderatione extant documenta Sacre Congregationis apud Quæren. l. 1. de reserv. sine. Grassus de casib. reserv. d. 1. de potest. Ep. all. §. 1. num. 288. alioque l. c. Et Barbosa quidem bene enumerat casus reservari consuetos, modumque eisdem interpretandi.

2. At quæstio est an ipsi possint peccatum mortale cujuscunque gravitatis reservare? Respondeo, quod natura reservationis, posse, quia statim, atque peccatum est mortale, capax est reservationis, ut supra vidimus